

ODOACER HERVLORVM PRINCEPS.



O Doacer Herulorum & Thuringorum princeps fuit. Illi autem erant Athilæ exercitus reliquiæ, qui cum Athilæ filijs ab Ostrogothorum & Gepidarum regibus uicti circa Danubiū aliquando quieuerant. Erat Odoacer uit rebus agēdis fortissimus, & magna prudentia præditus. Ita que suæ genti author extitit, ut denuò Italiam armata manus intrarent. Prætextus his repetendæ Italizæ fuit, quod diceret Athilam, qui eam subegisset, essetq; breui Roma potitus, unius senis impostoris suasu, uelut pharmaco alienatum, pulcherrimam uictoriam abiecisse. Itaq; in morem turbinis præcipiti ductu Italiam inuadunt. Verùm Aquilegia ad lœuam relieta, per Taruisinos & Vicentinos in Brixianum agrum populabundi irrumunt, anno Christi quadringentesimo octuagesimo. Obiecit Augustulus, qui cum in Occidente rebus præerat, Orestem patrem suum cum exercitu. Is cum Romanorum legionibus & accuratissimo Italizæ delectu circa Laudem Pompeiam in Germanorum conspectu castra fecit. Inde ad pugnam prouocatus, quum aciem instrueret, subita Italorum defectione prælio abstinuit. Præsentibus igitur viribus diffisus cum Romanis legionibus Ticinum contendit.